

CAPUT IV.

DE ACETIS MEDICATIS.

Acetum Medicinale nihil aliud est, quam Acetum vini naturale particulis activis unius, seu plurium simplicium, mediante infusione imprægnatum.

ACETUM ROSATUM.

R. Florum Rosarum Rubrarum siccarum, & ab ungu-
lis mundatorum, libram unam.
Aceti vini optimi, libras octo.
Insolentur per quindecim dies in vase vitreo obturato,
dein coletur, & exprimatur.

Eadem methodo sunt Aceta, videlicet.

Florum Sambuci.

Calendulæ.

Roris Marini.

Tunicæ.

Herbarum Rutæ.

Scordii.

Sennæ, & similia.

Acetum rosatum incidit, detergit, temperat, appeti-
tum excitat, acrimoniam salium volatiliū obtundit, ver-
mes necat, vomitus sistit; pro usu interiori cum alimentis,
seu medicamentis miscetur, putredinem arcet; externè fron-
ti applicatum somnum inducit.

ACETUM SCYLLITICUM.

R. Laminarum Scyllæ siccarum, . . . libram unam.
Aceti Vini Acerrimi, libras sex.
Immittantur in vas vitreum idoneum benè obturatum,

& per quadraginta dies insolentur, dein Acetum colatum usui fervetur.

Pro conficiendo Oximelle Scyllitico, & gummi dissolvendis in officinis præsertim inservit.

Ab omnibus fere Medicis pro medicamento efficaci ad cerebri affectus frigidos, & curatu contumaces habetur, ut ad epilepsiam, & vertiginem: humores enim crassos attenuat, lentos incidit, promptosque ad evacuationem reddit.

Dosis ab uncia semis ad uncias tres.

ACETUM PLUMBI, SEU SATURNI.

R. Lithargyrii, vel Minii, seu Cerussæ, libram unam.
Aceti albi acerrimi, libras duas.

Infundantur per dies octo in vase vitreo sæpius agitando, dein acetum probè dulcificatum filtretur, & usui fervetur.

Mistum, & ritè agitatum cum oleo violarum, sive Amygdalarum dulcium, pro butyro Saturni conficiendo inservit; in omnibus cutis vitiis, ulceribus humidis, & foetidis, ac similibus affectibus butyrum hoc maximè prodest.

ACETUM THERIACALE, SEU BEZOARDICUM.

R. Specierum Aquæ Theriacalis in hac Pharmacopœa descriptæ, uncias decem & semis.

Fiat maceratio per triginta dies in

Aceti Vini optimi, libris decem.

Dein cola, & in expresso dissolve

Theriacæ magnæ, uncias quinque.

Ac insola per triginta dies. Cola iterum, & serva.

Commendatur ad invertenda miasmata maligna, quæ coagulando, vel dissolvendo sanguinem, & spiritus, def-

truunt naturam, & ad febres malignas, vel ipsam pestem disponunt.

Dosis ab uncia una ad uncias duas.

Externè naribus admotum, & pulsibus applicatum, præservat, atque roborat.

Notandum, quod acetis subungi possunt OXYCRATUM, seu POSCA, & OXYRRHODINUM.

OXYCRATUM nihil aliud est, quam mistio ex una acetii parte, & sex partibus aquæ constans.

OXYRRHODINUM paratur, miscendo partem unam acetii rosati, & tres olei rosarum partes.

CAPUT V.

DE DECOCTIS.

DEcoctum est medicamentum liquidum variis particulis, sive moleculis unius, vel plurium simplicium imbutum, recta coctione solutis, in liquido idoneo factum.

Decoctio verò levis est, valida, aut mediocris pro rerum coquendarum substantia, & viribus: quædam enim leviter tantum decoquenda, ut quæ virtutem habent imbecillam, nimisque dissipabilem, & substantiam raram, veluti aliqua simplicia purgantia, flores scilicet Violarum, Roris marini, Papaveris Rhoeados, &c. & quæ ex particulis salino-oleosis volatilibus constant, ut Salvia, Thymus, Lavendula, Mentha, semen Foeniculi, Anisi, Dauci, Lignum Aloes, Sassafras, Santalum Citrinum, & omnia, quæ suavem aromaticum spirant odorem.

Altera verò validiorem poscunt decoctionem, quorum nempe substantia firma est, crassa, densaque, ut ligna inodora, Polipodium, Sarsaparilla, China, & similia: nam eorum virtus difficillimè dissipatur, ob arctiorem